

819.1  
+ 819.10  
Smo

**EDDA**  
**SNORRA STURLUSONAR.**

---

**EDDA**  
**SNORRONIS STURLÆI.**

---

**TOMUS SECUNDUS,**

**CONTINENS :**

**TRACTATUS PHILOLOGICOS ET ADDITAMENTA**  
**EX CODICIBUS MANUSCRIPTIS.**

Reproductio phototypica editionis 1848-87

OSNABRÜCK  
OTTO ZELLER  
1966

**EDDA**  
**SNORRA STURLUSONAR.**



**TOMUS SECUNDUS.**

**SUMPTIBUS LEGATI ARNAMAGNÆANI.**

Gesamtherstellung Proff&Co.KG, Osnabrück



---

---

*L. B.*

*Quum Eddæ Snorronis Sturlæi Tomus primus in lucem editus esset, speravimus, quemadmodum breviter in præfatione illius libri indicavimus, hanc nostram editionem duobus voluminibus absolvi posse. Sed procedente opere moles materiæ magis magisque crevit, tandemque eo res venit, ut et operi ipsi et rationi hujus editionis optime consuli videretur, si non solum editorum opera, sed et ipsi fontes lectori aperirentur. Prodit igitur hic Tomus secundus Eddæ Snorrianae, tractatus philologicos et additamentorum maximam partem continens, et, ut speramus, opus non parum illustrans, quum non solum hi ipsi tractatus, in codicibus manuscriptis plerumque in unum constati, et propterea a viris doctis hucusque non recte nec inter se nec a ceteris Eddæ partibus distincti, nunc suum quisque locum teneat, et ad certam ætatem, si non auctores, referatur, fontes auctorum in scriptoribus Latinis demonstrantur, loca parallela ex libris grammaticorum Latinorum, Prisciani in primis et Donati addantur: sed etiam in additamentis, quæ omnes reliquias vetustissimorum codicum manuscriptorum nunc superstites complectuntur, tota ratio operis condendi et quasi ipsa historia literaria hujus collectionis Eddicæ plane perspiciatur.*

*Contenta hujus voluminis breviter deinceps exponemus, quæ hæc sunt:*

A. *Tractatus argumenti philologici, sive de literis, syllabis, compositione verborum et figuris orationis* (p. 2—249). In his distinguere debent:

a) *Præfatio*: "um stafrofit", p. 2—9, quæ ad ipsos tractatus I—IV non pertinere videtur, sed seculo XIV. demum composita, sive ab auctore tractatus ultimi, sive a librario codicis Wormiani (si hi duo non sunt unus et idem), quum ex ipsa hac descriptione manifestum sit, auctorem hoc modo sequentes tractatus cum corpore Eddico a se congesto componere voluisse.

b) *Tractatus ipsi, qui quadripartiti sunt*:

I. Um stafrofit (de alphabeto, pag. 10—43), tractatus et antiquitate et ingenio auctoris atque doctrina, pro temporis quidem ratione, magnopere notabilis. Auctor, qui nulla monumenta historica Islandica, præter genealogias et scripta Arii sapientis († 1148) cognovit, et ipse alphabetum in Islandorum usum se condidisse profertur, circa et post medium seculum duodecimum vixisse videtur. Habemus igitur hic, si non descriptionem ipsius Thoroddi runomagistri, quod fortasse auctor præfationis suspicatus est (vide p. 4—6), certe auctoris cujusdam vetustissimi, Ario coevi, cujus tempore v. c. litera Anglorum (Anglosaxonum) ð nondum in alphabetum Islandicum recepta est, neque ab eo suscipitur<sup>1</sup>. Sagacitatem auctoris magna ejus in elementis soni et vocum distinguendis subtilitas demonstrat, doctrinam vero, quod alphabeta linguæ Latinæ, Græcæ, Hebraicæ, Anglicæ (Anglosaxonice) et Scoticæ cognovit, et linguæ Latinæ peritum se ostendit. In mythologia septentrionali versatum fuisse indicant fabulæ, nobis nunc ignotæ,

<sup>1</sup>) Quod hæc litera in editione nostra etiam in hoc tractatu occurrit, hoc codici Wormiano debetur, cujus librarius auctorem sæpius non intellexit, ideoque ex suo arbitrio sæpius scripsit; quæ mutare nunc frustra fuisset.

de gigantide Halogiana (Hölgatröll = Þorgerðr Hölga-brúðr?) et de Thore, quorum in exemplis allatis mentionem facit.

II. *Alter tractatus de alphabeto* ("um stafrofit") p. 44—61, cujus auctor ignotus circa annum 1200 floruisse videtur. Hic tractatus, qui ad nos initio et aliis locis mancus pervenit, ex duobus constatus est, altero ex fonte exotico hausto, ab Isidori Hispalensis scriptis originem ducente, qui literas cum notis et instrumentis musicis comparavit, altero Islandico, i. e. tractatu primo, cujus partem auctor verbo tenus descripsit. Sed has descriptiones tam diversæ indolis inter se consociare non valuit, quare etiam in multis vacillat, et dissimilia invicem miscet. Sed tamen tractatus hic magnopere memorabilis est, nam et literas Anglicas þ, v, ð eo modo in usum vocat, quo in codicibus Islandicis melioris notæ usurpatos esse videmus, et Raskio monente literam ð fortasse primus in alphabetum Islandicum introduxit. Cum hoc tractatu conferrri meretur tractatus brevis, quem codex Upsaliensis clavi metricæ Snorronis præmittit (vide huj. Tom. p. 364—369) cum tabulis alphabeticis (p. 365 et 368), quas aperte allegat noster (p. 48), sed quæ aut incuria librarii aut aliis causis nobis ignotis h. l. omissæ sunt: nam ex his tractatibus alter alterum supplere potest.

III. *Tractatus Olafi Thordi filii Albipoætæ* (Hvítaskáld † 1259), p. 62—189, ex duabus sectionibus constans, quarum prima de sonis, literis, syllabis et oratione ejusque partibus (Málfræðinnar grundvöllr, p. 62—92), altera de figuris orationis (Málskrúðsfræði, p. 92—189) agit. Si cum fragmento codicis membranaceo Arnarnagæano Nr. 757. 4. hunc tractatum, qualem ex codicis Wormiani auctoritate dedimus, comparamus, verosimile fit, Olafum hunc tractatum non

primum scripsisse, sed descriptioni alius auctoris de sonis, literis, syllabis et partibus orationis tractatum suum superstruxisse, variis locis sua intersevisse (vide v. c. p. 72—74, 76—81, 92—94, 94—96, 110—189) et multa de figuris orationis, ex Donato et aliis desumpta, addidisse, eo modo, ut pro exemplis Latinis, quæ Donatus dederat, alia ex carminibus septentrionalibus substitueret, quæ aliquo modo illis respondere viderentur. Et merito nunc miramur, quantam copiam carminum diversi generis, ætatis, auctorum, possederit vel memoria tenuerit, quum ultra 120 exempla tam exquisita afferre potuerit. Si ex altera parte cum fragmento codicis membranacei Arnsmagnæano Nr. 748. 4. textum nostrum comparamus, abesse videtur initium descriptionis Olafi, nisi prima hujus fragmenti (p. 397), quæ aliis locis non occurrunt, pro fine descriptionis cujusdam alius auctoris de tropis poëticis sint accipienda, quod ex scribendi modo, quo hujus fragmenti librarius usus est, non videtur verosimile.

IV. Tractatus incerti auctoris, de figuris orationis (Málskrúðs-fræði, p. 190—249). Hic tractatus, qui fortasse ab ipso librario codicis Wormiani — nam in hoc solo codice membranaceo invenitur — profectus est, ex mente auctoris verosimiliter tractatum Olafi hvitaskald continuare et ad finem perducere debuit. Ab exoticis fontibus originem haud dubie trahit, quamvis eos nondum indagare contigerit. Carmina sacra, ex quibus exempla sæpius depromit, auctorem monstrant clerici ordinis, nomina vero propria et casus, quæ carmina exempli gratia commemorant, tempus quo scriptus sit hic tractatus non ante secundum decennium seculi XIV. statui posse. Si librario codicis Wormiani tribuendus esset, circa medium seculi XIV. scriptus esse deberet, si alii, paulo antiquior esse posset.

B. Additamenta, quæ præstantissimas reliquias codicum — præter Regium et Wormianum — integras dabunt.

I. Snorra-Edda secundum codicem Upsaliensem, p. 250—396. Hic codex membranaceus, circa annum 1300, ut genealogia Sturlungorum et recensio poëtarum septentrionalium demonstrat, exaratus, librum ipsum Eddam et Snorronem Sturlæum ejusdem auctorem nominat<sup>1</sup>. Hoc testimonium librarii, tam prope ad ætatem auctoris viventis, magnæ auctoritatis esse debet, nec minoris momenti est, quod contenta libri Eddæ, a Snorrone scriptæ, breviter enumerat, eodem ordine, quo in hoc codice scriptum videmus. Quamvis igitur librarius iste rem suam ceterum tam oscitanter egerit, ut mira fere inscitia, qua innumeris locis textum, præsertim in carminibus, corrupit, magnam partem auctoritatis suæ destruxerit, tamen opus ejus, non solum vetustatis causa, sed et propter ordinem et dispositionem operis, non minus quam narrationis et sermonis genus, integrum lucem videre meruit, et visum est, hoc tali modo agere, ut quam proxime ad ipsas codicis scribendi formas accederetur, quod eximia liberalitas rectorum illustrissimæ bibliothecæ Upsaliensis, inprimis viri doctissimi J. H. Schröder, ord. Dannebr. Equit., nobis possibile fecit, quum ex petitione nostra hunc codicem rarissimum nobis ad utendum crediderunt. Ipsi numeros capitum, indices paginarum Tomi primi hujus editionis et notulas paucas addidimus. Plura, quæ ad notitiam hujus codicis, et specimen scripturæ, pertinent, in disquisitione de codicibus manuscriptis enarrabuntur.

<sup>1</sup>) Inscriptio librarii: "Bók þessi heitir edda. hana hevir saman setta Snorri Sturlo sonr"; vide p. 250.

II. Eddu-brot, s. fragmentum Eddæ secundum membranam Arnamagnæanam Nr. 748. 4., p. 397—494. Ex rubrica, quam librarius ipse uno loco adscriptus (v. p. 427—428), verosimiliter concludi posse videtur, hunc librum non totam Eddam Snorrianam, sed tractatum Olafi Albipoëtæ integrum, et selectam partem artis poëticæ Snorronis (Skáldskaparmál ok kenningar) complexum fuisse, ita tamen, ut artem poëticam ex proprio librarii ingenio liberius tractasse videatur. Ceterum monendum est, hunc librum non a manu auctoris ipsius, Olafi Albipoëtæ, profectum esse<sup>1</sup>, sed inde exscriptum, seculo eodem XIII. vel initio sequentis seculi, idque tam eleganter et scite, ut interitus tanti cimelii magnopere dolendus sit. In edendo hoc fragmento ad literaturam ejus quam proxime accessimus.

III. Orms-Eddu-brot, s. fragmentum Eddæ in codice Wormiano servatum, alias a nobis Wb insignitum, p. 495—500. Hoc fragmentum, nunc unum et dimidium folium implens, eadem fere manu scriptum est, certe eadem ætate, ac codex ipse Wormianus (circa 1350—60). Auctor scriptioni Snorronis de denominationibus opus superstruxisse videtur, et exempla copiose addidisse, quorum certe unum ex poëta seculi XIV. (bróðir Árni, p. 500) hausit. Ad hoc tempus igitur hæc scriptio, saltem qualis in hoc codice fuit, referenda esse videtur. De ceteris fere nihil nunc dicere possumus, quum maxima pars hujus codicis — si unquam codex fuit — jam tempore Arngrimi Jonæ et Magni Olavii, pastoris Laufasensis, interierit. Exstant tamen in libris manuscriptis, ab Olavio profectis, qui interdum Lövasini vocantur, sive Edda Lövasina (Laufass-Edda), quibus iterum editio Reseniana superstructa est, nonnulla quasi frusta, ab

<sup>1</sup>) hoc lacunæ in membrana relictæ indicant, vide v. c. p. 400 not. 2, 452 not. 2, etc.

hoc fragmento manifeste discerpta, unde videmus, fragmentum nostrum eo tempore (1609) unum vel fortasse duo folia habuisse, quæ deinde usque ad Arnæ Magnæi tempora periere (cfr. infra sub VI). Nunc quale habemus, integrum dedimus.

IV. Eddu-brot, sive fragmentum Eddæ secundum membranam Arnamagnæanam Nr. 757 in 4to, p. 501—572. Hoc fragmentum, seculo XIV. medio vel circa scriptum, magnam lucem tractatui Olafi Albipoëtæ adfert. Quamvis enim fragmento 748 non parum ætate sit inferius, tamen scriptionem de sonis et literis talem fere dedisse videtur, qualis a primo-auctore data sit, ante quam Olafus eidem multa intersevit, et maximam partem tractatus de figuris orationis addidit. Nec minus memorabile est, quod in denominationibus poëticis (kenningar skáldskapar, p. 511), partim cum fragmento 748 (ubi Snorro auctor eorum declaratur), partim cum nostris, Regio et Wormiano, consentit. In editione membranam, vetustate et putredine magnopere læsam et densis lacunis intersitam, ideoque lectu difficillimam, quam accuratissime potuimus secuti sumus.

V. Eddu-brot, sive fragmentum Eddæ secundum membranam Arnamagnæanam Nr. 1eß in folio, p. 573—627. Fragmentum hocce, seculo ut videtur XIV. scriptum, duobus præsertim momentis notabile est. Primum enim codici nostro Regio proxime accedit, nec tamen ita, ut in omnibus cum eo faciat, deinde genealogiam quandam in fine adfert, quæ demonstrat, hunc codicem olim, dum integer fuit, a nepotibus familiæ Sturlungicæ possessum fuisse. Visum est igitur hoc fragmentum, quod haud parvi momenti est, agmini ceterorum jungere.

VI. Diximus antea (v. III.) Magnum Olavium, pastorem Laufasensem et Eddæ Lövasinæ auctorem, frusta quædam ex fragmento Wb carpsisse, quando hoc frag-

mentum plenius erat quam nunc exstat. Hæc frustra, quæ non exigui momenti nobis sunt, colligere et componere curæ fuit, et hic p. 628—634 annexa sunt.

VII. Agmen claudit brevis quidam tractatus mythologici argumenti, ex folio membranaceo, quod in Nr. 162. b. Fol. in scriniis Arnamagnæanis asservatur, desumptus, p. 635—636. Ad collectionem Eddicam non proprie quidem pertinet hic tractatus, sed argumentum arcte cognatum consilium dedit, ut hoc loco publicam lucem videret.

Fragmentum membranaceum Arnamagnæanum Nr. 756. 4., seculo xv. scriptum, integrum dare non opus esse videbatur, quum per omnia cum Wormiano nostro faciat, et nihil neque in dispositione, neque in materia tractanda notabile habeat.

Neque nobis, præfationi huic finem facientibus, pietatis officium negligendum est. Duo cara nomina, quæ in primo hujus operis volumine edendo participes erant, nunc non adsunt, LAURENTIUS ENGELSTOFT et KOLDERUP-ROSENVINGE. Mors nobis invidit viros egregios, patriæ et universitatis nostræ per multos annos ornamenta, literarum septentrionalium fautores et felicissimos cultores, collegii nostri per viginti fere annos fidelissimos et doctissimos collaboratores, quos totus orbis literarius non minus quam Musæ patriæ lugent et desiderant.

Vale, L. B., et studiis nostris favere perge.

Dabamus Hafniæ die xxxi. Augusti 1852.

Orsted. Werlauff. Rafn. K. Gislason.  
J. E. Larsen.

Jón Sigurðsson.

## EDDA SNORRA STURLUSONAR.